



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 86. Remorontinum edictum a Rege promulgatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæc. XVI  
A.C. 1560.

jam aliunde in Galliis circa hæreticorum pœnas, ac sententias mutuis inter se diffidiis scinderentur. Demum ipsemet Henricus II. semper consilium de ejusmodi tribunali olim sibi propositum constanter rejiciebat, duntaxat postremis regni sui diebus permittens, ut profanis judicibus quidam adjungerentur Doctores, qui de hæresis crimine cognoscerent: qua tamen ratione nondum Inquisitio eo modo instituta videbatur, quo eam Cardinalis Lotharingius stabiliri desiderabat, ipsa vero Regina ægre id concedebat: tandem vero Hospitalius recens electus Cancellarius inter utrumque Henrici II. edictum hanc in rem promulgatum mediam viam selegit, exponens, quod Inquisitionis Curia omnino utilis foret in quadam Regione, in qua hæresis vix e suis incunabulis prodire cœpit, veluti in Hispaniæ Regno, ubi Philippus II. quadraginta octo hæreticis extremo supplicio affectis feliciter hanc pestem eliminavit, attamen in Francia, ubi tum multa hominum millia erroribus infecta reperiuntur, nimia severitate Regnum seditionis periculo exponi censebat.

§. LXXXVI.

*Remorontinum edictum a Rege promulgatum.*

Placuit

Placuit Hospitalii consilium, quapropter percelebre conceperat edictum, quod vulgo Remorontinum appellabatur, eoquod in Remorontina urbe octava leuca Blesis distita in Blesensi agro ad Sederam confectum fuisset mense Majo anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo. In eo fanciebatur, ut soli Episcopi, eorumque Officiales de hæresis crimine cognoscerent, ejusmodi vero potestas regiis iudicibus adimeretur, ab hac lege nequidem exceptis Senatuum Curiis; iisdem tamen Episcopis, ut assidue in suis Diocæsesibus residerent, injungebatur, hancque in rem Rex aliud condebat edictum, quod Senatus libentius, quam primum, recipiebat, quamvis hoc Inquisitionis tribunal ad pristinam formam, ubi nonnisi Episcopi iudicabant, per hoc edictum reduceretur: ut tamen profani quoque Iudices, ad quos olim contumaces remittebantur, placarentur, hinc altera edicti parte fancitum, ut omnes illi, qui vel suis hæreticis sermonibus palam, aut secreto habitis sese pertinaces exhibuerint, aut illicita conventicula instituerint, vel sine Episcoporum licentia ad populum dixerint, vel denique in novarum opinionum favorem libellos vulgaverint, aut typis ediderint, a iudicibus profanis remoto

Sæcul. XVI.  
A.C. 1560.

*Thuan. l. 25.*

Sæc. XVI.

A. C. 1560

omni provocationis subsidio dijudicandi, ac juxta legum severitatem tanquam divinæ, humanæque Majestatis læsæ rei puniendi essent. Displicuit hoc edictum Calvinistis, illudque *Hipaniæ Inquisitionem* appellitabant: nihilominus hoc rigore nondum perterriti eadem, ut antea, temeritate, ac petulantia debacchabantur, Colinii Architalassi prælidio suffulti, qui in omnibus urbibus suo regimini subjectis libere hærefin in vulgus spargi, & conventus haberi præcepit.

§. LXXXVII.

*Momorantius Connestabilis ad Aulam revocatus ac cum Coliniis eo delatus.*

*Thuan. l. c.*

Cum Catholici Remorontini edicti executionem necessaria severitate haud urgerent, Calvinistæ vero illud observare omnino negligerent, hinc Catholici alia remedia adhibere cogebantur, inter quæ præprimis erat, ut ad Bellaqueum fontem Optimatum comitia indicerentur, quibus Principes, Regni Ministri, secretioris consilii Patres, Ordinis Equites, ac præcipui Magistratus interessent. Momorantius quoque, & ipse evocatus ad aulam venit, comitabanturque illum Villarius Comes Sororius suus, tres Colinii fratres, eorumque amici,